

tenduntur nisi ut via ad entia speciei completae, et formas rerum, quarum species utpote completae per se intenduntur. Primae dicuntur *transientes*; ut sunt formae vegetaliū et animalium, per quas transit embryo, donec perveniat ad formam hominis: aliae sunt *permanentes*, ut forma alicuius plantae, vel alicuius animalis; ut canis, leonls: « Nec est inconveniens si aliquid intermedium generatur, et statim postmodum corrumpitur, quia intermedia non habent speciem *completam*, sed sunt ut via ad speciem; et ideo non generantur ut permaneant, sed ut per ea ad ultimum generatum perveniatur » (1).

Rationes seminales materiae. Ex dictis intelligitur sane quid sint rationes illae seminales, quas, duce Augustino, S. Thomas proficitur a Deo inditas esse materiae (2). Sunt enim principia activa et passiva, atque ita virtutes activae et passivae rebus corporalibus inditae, quibus aptae sunt ad generationem, vocabulo sumpto a viventibus in quibus principium activum et passivum generationis est semen. Omnia autem corpora habent in se ipsis hoc principium per quod a Deo ad novas generationes ordinata sunt, quodque *natura* iure nuncupatur a Philosopho: « Secundum Augustinum, ait S. Thomas, rationes seminales dicuntur omnes vires activae et passivae creaturis a Deo collatae quibus mediantibus naturales effectus in esse producit » (3). Hoc sensu intelligendum est illustre illud Augustini verbum aientis: « Sicut matres gravidae sunt foetibus, sic ipse mundus gravidus est causis nascentium » (4).

Quae nobilissima doctrina utrinque refellit tum errorem eorum qui commenti sunt, vitam nescio quam esse sparsam per omnia corpora etiam inorganica, vel mundum esse immane quoddam animal, ut Stoici imaginati sunt; tum errorem recentium Atomistarum, qui rebus naturam eripiunt, mutationes in qualitatibus substantialibus et accidentalibus inficiantur, res motu extrinseco dumtaxat agitatae ac pulsatae docent, veram activitatem ipsis denegant, et pulcherrimum ordinem, qui ex mutuis rerum actionibus et passionibus viget, prorsus destrunt. Iam vero longe aliter res habet ac isti naturae peremptores gloriose declamant: nam omnis operatio, omnis motus rerum corporalium dirigitur ad aliquam formam producendam sive substantialem sive accidentalem.

Forma ergo est finis generationis, ideoque causa formalis et finalis sunt unum idemque, sed earundem causandi ratio est diversa; nam forma ut causa formalis causat actuando materiam; causat ut finis movendo agens a quo intenditur. Res ergo naturales non movent seipsas

(1) *Contra gent.* lib. II, cap. LXXXIX, n. 6.

(2) 1 p. q. 115, a. 2, et 2 *Sent.* Dist. 18, q. 1, a. 2.

(3) *Q. D.* De ver. q. 5, a. 9 ad 8.

(4) *De Trin.* lib. III, cap. IX.

in finem, sed moventur a natura, quae recte definitur: *Stabilis inclinatio vel appetitus finis rebus a Deo inditus*, vel aliis verbis: *Ars quaedam divina indita rebus per quam ad fines proprios non solum ducentur, sed quodammodo vadunt*. Hinc iure dixit Philosophus, naturas rerum plenas esse finibus (1): nam agentia naturalia ad hoc operantur ut faciant materiam esse actu id quod erat in potentia; quod idem sonat ac formam inducere in materiam, et quoniam forma est finis generationis, agentia semper in operando finem intendunt.

Sicut ergo in semine est principium activum et passivum generationis; sic in rebus dici possunt reperiri virtutes seminales omnium effectuum et ut in causis activis et ut in causis passivis et receptivis. Quod ut penitus intelligatur, adnotandum cum Doctore Angelico divinam operationem in condenda natura, in duobus potissimum differre ab operatione creati artificis. Primum ex parte materiae, quia cum artifex materiam non producat, potentiam non confert materiae ad recipiendas formas, quas materiae inducit. Deus autem qui est auctor totius rei, non solum formas et virtutes naturales rebus contulit, sed etiam potentiam recipiendi illud, quod ipse in materia facere vult. Secundo ex parte formae; quia formae, quas inducit artifex, non producant formas sibi similes (*Physic.* I, text. 13); formae autem naturales producere possunt formas sibi similes, et ideo proprietates seminis habent, et seminales dici possunt (2).

ARTICULUS V.

DOCTRINA PERIPATETICA DE PRINCIPIIS NATURAE PROPUGNATUR.

CONTINUATIO RERUM. In superiori articulo exposuimus praecipua capita ad quae revocari potest doctrina peripatetica, quae tuetur, essentiam rerum materialium esse compositam ex duplici principio eam constituyente, idest ex materia prima et forma substantiali, et ad parandam facilem viam huius veritatis vindicandae, copiose explicavimus nonnullas notiones, quae praecognosci debent, ut huiusmodi doctrina et vis argumentorum rite intelligantur. In hoc autem articulo multiplici argumentorum conclusione doctrinam de corporum natura ab Aristotele sapientissime traditam, et a tot Doctoribus Scholasticis perfectam et late explicatam sequenti propositione propugnabimus.

(1) *Physic.* lib. II, cap. VIII.

(2) 2 *Sent.* Dist. 18, q. 1, a. 2.

PROPOSITIO.

Essentia seu natura substantiarum corporalium intrinsece componitur ex duplici principio realiter distincto, nempe ex materia prima et forma substantiali.

Præiudicium. Omnia argumenta quae a nobis prolata sunt contra Atomistas et Dynamistas perspicue demonstrant, naturam seu essentiam corporum non posse rite apteque explicari, nisi recurrendo ad duo principia substantialia, quorum alterum sit materiale, alterum formale. Corpora enim, uti experientia manifestat et ratio docet, sunt substantiae partibus coagmentatae, unitate entis per se et simpliciter praeditae, vera agendi virtute ornatae. Harum substantiarum quaedam sunt inanimatae, quaedam ex adverso non solum sunt viventes, sed etiam diversis vitae gradibus pollentes: essentialiter differunt a substantiis et formis simplicibus, quae etiam formae subsistentes denominari solent: demum sunt inter se transmutabiles, cum iugiter una convertatur in aliam, ita ut in continuo ac perenni individuorum interitu salventur ac permaneant species. Atqui haec omnia, quae simplex experientia cullibet intuitui manifestat, quae sensus naturae communis et ratio docent ac proclamant, unice in systemate peripatetico dualitatem principiorum sectante explicari possunt. Ergo vel omni scientiae ac cognitioni valedicendum, vel doctrina peripatetica de corporum principiiis propugnanda. Quod distinctis argumentis confirmabitur a nobis.

Arg. 1.^{um} ducitur ex substantiali compositione naturae humanae, et sic proponi potest. Homo constat corpore et anima tamquam forma substantiali et intrinseca causa. Atqui anima intellectiva non posset intrinsece informare corpus, nisi cetera corpora constarent duplici substantiali principio, materia nempe et forma substantiali. Ergo omnes res naturales essentialiter componuntur ex materia prima et forma substantiali.

Arg. evol. Ad maiorem propositionem quod attinet, extra omnem controversiam positum est, animam rationalem esse per se et immediate corporis formam, uti constat ex ipsis fidei documentis a nobis suo loco citandis, et esse formam substantialem, quia per unionem eius ad corpus resultat ens per se unum, idest homo; quae doctrina commode salvari nequit, nisi cum Doctore Angelico tueamur, animam intellectivam constituere corpus humanum in esse corporis physici, « ita ut in homine non sit alia forma substantialis quam anima rationalis, et per eam homo non solum sit homo, sed et animal, et vivum, et substantia, et ens » (1). Declarata sic maiori quae apposite

(1) QQ. DD. De spir. creaturis, a. 3.

probanda erit in Anthropologia, minor ita efficitur. Compositio ex materia prima et forma substantiali in homine ostendit, esse in rebus naturalibus quoddam *subiectum substantiale* natura sua aptum ut informetur *actu aliquo substantiali*, ideoque incompletum et potentiale in genere substantiae, et postulans esse semper sub actu quodam substantiali. Hoc autem subiectum non est proprium hominis, sed in aliis rebus naturalibus reperitur. Nam materia corporis humani quae secundum se est in pura potentia ad suum esse substantiale, antequam homo formaretur, fuit successive minerale, vegetale, animal; ideoque etiam in his determinabatur per aliquam formam substantialem (1).

Arg. 2.^{um} eruitur ex viventibus in genere, et ita proponi potest. Ut explicari queat vitalis operatio sive in brutis sive in plantis, admittendum est in ipsis principium quoddam vitale quod sit substantiale, vere unum, a materia distinctum, quod nuncupatur anima. Qui hoc negabit, cogetur docere cum Cartesio, bruta esse mere automata, et cum quibusdam recentibus plantas seu viventia vegetalia non differre a mineralibus nisi per diversam dispositionem materiae, nosque posse efficere plantam aliquam viventem, si apta supplerent instrumenta.

Iacto hoc fundamento, ita argumentari licebit. Vel hoc principium est actus materiae, idest forma substantialis; vel subsistit in suo esse distincto ab esse corporis. Atqui secundum repugnat. Ergo admittendum est primum disunctionis membrum. Quo admissio, fitendum est, materiam corporis viventis esse in nuda potentia ad esse substantiale. Iam vero illa eadem materia ante generationem vegetaliū et animalium existit sub forma mineralis. Ergo etiam in mineralibus materia determinatur ad esse huius vel illius mineralis per formas substantiales. Unum remanet probandum, nimirum principium vitale non esse actum per se et in se subsistentem; quod multipliciter efficitur. Nam primo operationes vegetaliū et brutorum intrinsece dependent a materia, et per hoc solum intellectus distinguitur a sensu. At quoniam operari sequitur esse, principium dependens a materia in operando, dependet etiam ab illa in *essendo*. Secundo si principium vitale plantarum et brutorum non esset forma informans, sed mere assistens, esset substantia immaterialis, ideoque minime corruptibilis neque per se, neque per accidens, et consequenter natura sua immortalis, excederetque ipsam animae humanae perfectionem, quae licet in se subsistat, est nihilominus forma vere informans.

Arg. 3.^{um} ducitur ex substantialibus corporum mutationibus. Datur vera transmutatio unius substantiae corporeae in aliam specie diversam. Atqui huiusmodi mutatio substantialis contingere nullatenus posset, si substantiae corporeae non constarent ex duplici principio, nempe ex materia prima et forma substantiali. Ergo corporum prin-

(1) Cf. SUARESIUM, *Metaph. disp. 15, sect. I.*

cipia constitutiva sunt materia et forma. Et quoniam tota haec contentio versatur circa propositionem maiorem, eam declarandam ac probandam aggrediamur oportet.

Ut stet propositio maior duo requiruntur: 1) Ut corpora elementaria seu chimice simplicia convertantur in corpora chimice composita seu mista, et corpora quaedam mista transmutentur in alia mista. Hoc autem patet ex chimicis experimentis, et quotidiana experientia, cum videamus ligna converti in cinerem, et cibum in carnem. Requiritur: 2) Ut varia mista a simplicibus et inter se *substantialiter* seu *specie* differant. Hoc autem probatur ex essentiali discrimine inter proprietates simplicium et diversorum mistorum, cum essentia substantiarum per solas proprietates et effectus nobis innotescere valeat. Porro proprietates et operationes specie diversae et inter se oppositae arguunt essentias et substantias specie diversas. Nam substantia est principium ex quo fluunt et resultant omnes proprietates, quae rebus insunt, et operatio sequitur *esse* rei. Quocirca nequeunt vel proprietates vel actiones diversificari specie, quin ipsae substantiae intelligantur differre inter se specie. Adverte tamen nos hic loqui de proprietatibus permanentibus, nimirum quae substantiam afficiunt ipsique inhaerent, dum est in suo statu naturali, non de proprietatibus transeuntibus, videlicet de illis, quae exsurgunt ex actione agentis extrinseci, quae, cessante illa actione, et ipsae desinunt; sic cum aurum igne liquescit, vel ferrum candescit; sublato agente extrinseco, sponte redit ad pristinum statum: contra, cum post scintillam electricam hydrogenium et oxygenium efformant aquam, cessante actione electrici, aqua cum suis proprietatibus manet.

Argumentum autem sic paucis proponi potest: In conversione unius substantiae in aliam specie diversam aliquid primae remanere debet in altera, secus secunda crearetur: similiter aliquid debet desinere, et aliud produci, secus nova substantia non produceretur. Ergo corpora quae in alia convertuntur duplici componuntur substantiali principio, uno communi et determinabili, altero determinante et proprio. Primum vocatur materia, secundum dicitur forma.

Arg. 4.^{um} deducitur ex compositione integrali quae in corporibus ratione quantitatis resultat. Corpora quippe extensa ratione quantitatis habent multiplicitem partium integrantium cum substantiali unitate essendi; nam continuum est ens per se et simpliciter unum. Atqui principium unde dimanat multiplicitas, nequit esse illud idem ex quo exsurgit essendi unitas substantialis. Ergo corpora coagmentantur duplici principio, altero materiali, quod est fons et radix multiplicitatis, altero formali et per se simplici, ex quo exoritur unitas essendi et indivisio. Duplici hoc principio constituto, nempe potentiali et actuali, seu determinabili et determinante, rite explicari potest abdita natura continui, in quo habetur substantia aliqua, quae est una

actu, et multiplex potentia. Forma enim et esse consequens formam licet ratione sui dividi nequeunt; multiplicari tamen possunt et dividi ratione subiecti materialis, et sic apte iunguntur simul in eodem ente et actualis unitas et potentialis multiplicitas.

Arg. 5.^{um} et ineluctabile desumitur ex causis efficientibus et finalibus. Corpora, uti suo loco demonstrabitur, revera agunt per virtutes agendi ab eorumdem essentia profluentibus, et operantur propter determinatos fines: idest in corporibus datur principium intrinsecum quarundam determinatarum mutationum, quod dicitur *natura*. Atqui neque corporum activitas, multoque minus stabilis et constans modus operandi propter determinatum finem exsurgere potest ex sola materia. Ergo in corporibus praeter principium materiale, admittendum est principium quoddam formale, ex quo repetenda est corporum activitas, et quod valeat rationem praebere constantiae ac stabilitatis ordinis, qui viget in operationibus naturae.

Arg. evol. Propositio maior proprio in loco demonstrabitur, et non potest in dubium revocari, nisi ab eo qui velit omnem scientiam rerum naturalium subvertere, et cum Materialistis simul ac Fatalistis castra coniungere. Ad declarationem propositionis minoris, non erit supervacaneum haec subicere. In continua generatione mistorum ex elementis, mista quae exsurgunt, constanter praedita sunt iisdem proprietatibus, quas habebant mista, quae prius habita fuerant ex similibus elementis, proindeque mistorum species in natura immutabiliter perseverant in perenni transformatione individuorum. Similiter experimento constat, determinata corpora cum ad statum crystallinum progrediuntur, inducere semper quasdam formas geometricas regulares, ita ut per accidentales perturbations praepediti possit transitus ad statum crystallinum, sed minime effici ut crystallina ex determinato corpore enascentia variabiles formas consecutentur. Atqui haec facta constantia, uniformia, et multa alia his similia inexplicabilia manent, nisi in corporibus admittatur duplex principium, alterum determinabile, et alterum determinans. Si enim solummodo elementa intransmutabilia admittantur, vel haec elementa supponuntur passive moveri, uti decernunt Atomistae, vel active sese attrahere ac repellere, uti Dynamistae affirmant. In utroque autem casu ipsis est omnino fortuitum et per accidens congruere potius in has quam in illas mistorum vel crystallorum formas.

Quocirca recurrendum est ad duplex principium, idest materiale et formale; et tunc statim in promptu erit ratio ad explicandam horum factorum mutationumque stabilitatem et constantiam tum ex parte *materiae*, quae a natura ordinata est ad quasdam certas formas; tum ex parte *formae*, cum omne agens operetur secundum quod est actu per formam, et agendo eo tendat, ut suae formae similitudinem aliis communicet. Quocumque se vertant adversarii, huius invictissimi

argumenti efficaciam non eludent, nisi proprio arbitratu et temere respuendo nobilem illam philosophiam, quae ducta ab Aristotele apud SS. Ecclesiae Patres, Summosque Doctores semper permansit. Agnoverunt enim viri doctrina ac sanctitate praestantes, in mundo hoc adspectabili innumeras diversasque rerum naturas suo modulo imitari immetam ac simplicissimam Dei bonitatem easque esse totidem Divinitatis vestigia ac similitudines licet admodum dissimilares; sic Dei liberalitatem admirati sunt, eo quod tot res natura specieiue differentes conderit, quae et in eo quod sunt, et in eo quod operantur, divinam gloriam enarrant (1).

Praecluditur effugium adversariorum. Adversarii, ut vident fatalismum Democriti, Leucippi, et Epicuri, nituntur explicare constantiam factorum et phaenomenorum ex stabilitate ordinis a Deo rebus inditi. Iam vero eorum responsio, uti attendenti patet, nulla est et captiosa; nam afferunt ut fundamentum illud ipsum, cuius quaerimus fundamentum, et sic fucum imperitis faciunt. Siquidem stabilitas ordinis in hoc relucet, quod semper eadem facta et mutationes producuntur. Evidens est, stabilem ordinem explicari non posse, nisi assignetur fundamentum, a quo eius stabilitas oriatur. Neque quidquam proficere asserere, principium ordinis stabilis non necessario esse intrinsecum, sed posse esse extrinsecum, nempe Deum auctorem et conservatorem ordinis. Nam haec evasio rebus tolleretur nativam virtutem relate ad proprios effectus, et Occasionalismo viam communiret, male confundens principium remotum cum principio proximo ordinis. Quocirca respondemus in forma. Principium ultimum et mediatum ex quo ordo procedit, est extrinsecum, *Conc.* Immediatum et proximum, *Subdist.* Principium a quo derivatur ordinis conceptio, *Conc.* A quo derivatur ordinis executio, *Neg.*

Arg. 6.^{um} ex eo deducitur quod Peripateticum systema, utine vitare potest ea incommoda et absurda, quae Dynamistae, praesertim Leibnitius, opponunt Atomistis, et Atomistae contra Dynamistas obiciunt, et Atomistae dynamici contra utrosque. Contendunt enim Dynamistae, corporum essentiam nullo pacto posse per solam materiam explicari, idque multiplicibus efficiunt argumentis, inter quae illud ineluctabile a Leibnitio multifariam expressum: nempe omnem substantiam esse causam, et principium activitatis; ens enim inactivum ad summum cogitari potest ut mera potentia obiectiva et logica, non ut aliquid realiter existens. Nec minus veri sunt Atomistae, cum Dynamistas coarguant, eo quod omnino absurdum sit, ex punctis inextensivis velle confiare aliquid extensum, vel eo quod puncta in se invicem

(1) Cf. S. Тром. *Contra gent.* cap. XIX, XX, XXI, XXII, ubi sapienter disputat quomodo res omnes Deo assimilantur et in eo quod sunt, et in eo quod operando, propriam naturam aliis communicant.

agentia extensionem praeviam supponant. Ex quibus inferre licet, ad explicandam corporum essentiam neque solam realitatem extensam, neque solam vim inextensam sufficere, sed consortium utriusque requiri. Primus ergo fons erroris Atomistarum et Dynamicorum in eo situs est, quod ipsi, posthabitis causis finalibus ac formalibus, ad causas dumtaxat materiales et efficientes se contulerunt.

Haec philosophandi ratio manca est omnino et inepta, tum in omnibus scientiis, quae *quid* rei seu definitiones assequi nequeunt, nisi per causas formales, tum praesertim in perscrutatione naturae, in qua ad facta explicanda et ad proportionatas ipsorum causas assignandas, necessarium omnino est illud determinare propter quod operationes causarum efficientium, et passiones causarum materialium immutabiliter eveniant eo pacto, quo conservatio specierum prospiciatur. Quod fieri nequit nisi adstruendo causas finales et formales. Hoc notatum fuit ab Aristotele docente ad philosophum naturalem pertinere, quatuor rerum causas in naturae indagatione prosequi (1).

Sic vitatur illud aliud maximi momenti incommodum, quod doctissimus Sylvester Maurus exprobrat Atomistis, qui iam suo tempore contra veterem sapientiam incipiebant bella turbasque ciere; nimirum quod ex modo philosophandi talium philosophorum intellectus gradatim ac pedetentim disponitur ad omnes veritates negandas, quod nostris temporibus contigisse per summam calamitatem ipsi conspeximus. Quocirca placet hic recitare ipsa verba sapientissimi viri, qui funestam cladem omnibus veritatibus a philosophiae novatoribus inferendam longe antea prospexit ac divinavit. Sic enim de atomismo loquutus est: « Ex modo philosophandi istius sententiae disponitur intellectus ad dicendum, non dari in homine aliam animam, quam dispositionem corpusculorum, non dari in mundo aliam causam, quam corpuscula disposita, atque adeo non dari Deum et providentiam. Probatum sequela: nam si corpuscula possunt ita disponi, ut per solam dispositionem faciant mirabiles operationes, quas videmus in cane, ut videat, audiat, cognoscat dominum et illi obediat, cur non possunt ita disponi ut faciant operationes intelligendi, quas experimur in homine?... Ratio a priori est, quia si intellectus assuescat quosdam effectus tribuere causis improporionatis, disponitur ad refundendos etiam alios effectus in causas improporionatas... Ergo licet sola divina providentia sit causa proportionata pulcherrimi ordinis, quem videmus in mundo, disponuntur isti ad tribuendum talem ordinem casui, vel fato, vel corpusculis. Praeterea eo ipso quod sensui nimis adhaerent, inclinantur ad omnia neganda, quae sunt supra sensum, et ad

(1) *Physic.* lib. II, cap. VIII.

ponendam felicitatem in solis delectationibus sensibilibus, ut consequenter ad sua principia posuit Epicurus » (1).

Conclusio. Quae a nobis fusc pro rei gravitate de essentiali corporum compositione disputata sunt, confirmari possunt ex eo quod doctrina haec, quae unice scientificam explicationem naturae corporalis exhibet, longe lateque serpat in tota philosophia. Ipsa namque nectitur arctissime cum veritatibus summi momenti, quae demonstrantur de Deo, de substantiis spiritualibus, de unione animae humanae cum corpore et de eius propria intelligendi ratione, de diversis rerum gradibus, quibus ascendimus ad divinam naturam cognoscendam tamquam per scalam aliquam assurgentem ab entibus minus perfectis, et per entia perfectiora gradatim pervenientem ad ens perfectissimum.

Si vero hanc nobilissimam doctrinam argumentis extrinsecis corroborare velimus, quod in omnibus causis et debet et solet valere plurimum, auctoritate summorum philosophorum et maximorum Ecclesiae Doctorum uti possumus. In primis enim occurrit Doctor Angelicus qui non solum doctrinam hanc de corporum substantiali compositione amplexus est lateque ac diserte enodavit, sed eam tanquam caput atque arcem proposuit plurium veritatum ab ipso explicatarum. Neque hic, ut de tot aliis taceamus, silentio praeteriri possunt S. Augustinus, S. Anselmus, S. Bonaventura, Magister Sententiarum, B. Albertus Magnus. Siquidem non ex Stagirita solum, sed et ab Augustino doctrinam de materia et forma expressit Aquinas, ut ipse faetur (2). Porro Augustinus de hac re pluribus in locis sapientissime pertractat (3). Quae testimonia si considerate leguntur, apparebit quanta cum veritate exclamaverit Moshemius inquis: « Tanta sunt opinionum humanarum vicissitudines! quod Augustinus non dubitat divinum appellare dogma, quod nullum capere posse tradit, nisi Dei clementia illuminetur et erodiatur, quod in maximis denique ponit beneficiis a Deo acceptis; id recitatori memoria insulsum, ineptum, fanaticum, a ratione omnino aversum vocatum est » (4).

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

Oppon. 1.° Omnis realitas est vel substantia vel accidens. Atqui materia prima et forma substantialis non sunt neque substantia neque accidens. Ergo corpora non constituuntur realiter ex materia prima et forma substantiali.

Resp. Dist. mai. Omnis realitas est vel formaliter vel reductive in genere substantiae vel accidentis, *Conc.* Est semper formaliter in

(1) *Quaest. phil.* vol. II, q. 4 de atomis.

(2) *QQ. DD. De spir. creaturis*, a. 1.

(3) *De Genesi ad litteram*, lib. I, cap. XIV et XV; et *Confess.* lib. XII et XIII.

(4) In notis ad opus CUDWORTH, *Systema intellectuale universi*, to. II, cap. V.

genere vel substantiae vel accidentis, *Neg. Contradist. min.* Non sunt accidentis, *Conc.* Non sunt substantia, *Subdist.* Completa, iterum *Conc.* Incompleta vel pars essentialis substantiae, *Neg.*

Explico. Difficultas haec vel potius cavillatio supponit, omnem substantiam esse essentialiter simplicem, proindeque repugnare substantiam aliquam compositam et vere unam. Quod decretum est perspicue falsum et lubricum; everteret enim discrimen inter substantias spirituales, et materiales. Diximus supponere illud absurdum; nam si dari potest substantia aliqua composita ex partibus, evidenter partes substantiae quamdiu sunt in toto, non sunt substantiae, secus pars et totum essent unum idemque; et consequenter unum esset idem ac multiplex vel plura, nam totum vel compositum esset ens per se unum; partes ex adverso essent entia per se multiplicia, cum essent plures substantiae; hoc autem est pugnantia secum loqui. Ergo dicendum, componentia aliquam substantiam non esse substantias, sed partes substantiales, quae reducuntur ad praedicamentum substantiae, quatenus simul unitae efficiunt subiectum primi esse, quod proprie dicitur substantia, quae definitur: *Res cui competit esse in se et non in alio.*

Oppon. 2.° Substantia est in indivisibili. Atqui si ita est, repugnant substantiae incompletae. Ergo corporum essentia non componitur ex partibus essentialibus.

Resp. Dist. mai. Substantia est in indivisibili, idest perfectio essentiae substantialis neque intenditur neque remittitur, remanente eadem specie, *Conc.* Idest omne subiectum substantiale est indivisibile et simplex, *Neg. Contradist. min. et Neg. cons.*

Explico. Difficultas ludit in ambiguis; nam quando asseritur cum Aristotele substantiam esse in indivisibili, sensus propositionis est, essentias substantiales non suscipere magis et minus, quin species perimatur; et hic sensus est verissimus, uti declaravimus in Philosophia prima. Iam vero latenter paralogizant philosophi illi, qui ex eo quod essentia substantialis dicatur esse in indivisibili, seu non suscipere magis et minus, quin species intelligatur mutari, prave concludunt, eam esse incompositam, et repugnare conclamant substantiam essentialiter compositam. Nam esse substantiam indivisibilem idem est ac esse formam simplicem et spiritualement. Contra, esse in indivisibili significat, substantiam compositam ex tali materia et ex tali forma ita habere fixos perfectionis gradus, quos per praedicata essentialia explicamus, ut si aliquis gradus addatur vel tollatur, iam species seu substantia mutetur (1).

Oppon. 3.° Compositio substantialis repugnat tum ex parte materiae tum ex parte formae. Siquidem materia non est in subiecto, sed ipsa est subiectum primum. Atqui esse primum subiectum, iuxta

(1) Cf. quae diximus Ont. tract. II, q. 2, a. 5, vol. I, pag. 474-477.

ipso Peripateticos, præbet conceptum substantiæ. E contra forma est in materia a qua distinguitur. Atqui esse in alio tamquam in subiecto est proprium accidentis. Ergo forma est accidens. Ideoque ex utroque capite repugnat substantialis compositio ex materia et forma.

Resp. Neg. assumptum. Ad primam rationem, *Dist. mai.* Materia non est in subiecto, quatenus non advenit alteri, *Conc.* Quatenus non est pars essentialis alterius, quod est subiectum, *Neg. Contradist. min.* Esse subiectum formæ substantialis, ideoque subiectum permanentium mutationum substantialium præbet conceptum substantiæ, *Neg.* Esse subiectum accidentium seu melius subiectum primi actus essendi præbet conceptum substantiæ, *Conc.* Ad aliam rationem pariter *Dist. mai.* Forma substantialis est in materia tamquam in subiecto per primum esse actuato, *Neg.* Tamquam in subiecto quod per unionem cum forma fit capax actus essendi, *Conc. Contradist. min.* Et sic solutio ex ipsis terminis patet.

Oppon. 4.^o Materia et corpus sunt unum et idem. Ergo corpora constant ex sola materia. Antecedens probatur. Substantia est primum ens, primum subiectum, primum fundamentum ac primum substans ceteris. Atqui hæc omnia conveniunt materiæ independentem a forma. Ergo materia proprie est substantia.

Resp. Neg. assumptum. Ad probationem, *Dist. mai.* Substantia est primum ens, subiectum, fundamentum actuale, *Conc.* Potentiale, *Neg. Contradist. min.*

Explico. Substantia dicitur primum ens simpliciter: sed primum ens simpliciter constituitur per esse simpliciter, quod est actus. Ergo substantia constituitur per actum, ideoque est primum ens actuale, primum subiectum, ac primum fundamentum actuale. Materia vero prima est ens potentia, et sic est subiectum ac fundamentum potentiale.

Oppon. 5.^o Substantia corporea est ingenerabilis et incorruptibilis. Ergo non constat ex materia et forma, vel saltem argumentum ductum ex mutationibus substantialibus non valet. Antecedens probatur. Substantia est primum subiectum. Atqui primum subiectum non potest neque generari neque corrumpi: debet enim generari ex aliquo subiecto, et sic non esset primum. Ergo substantia corporea est ingenerabilis et incorruptibilis.

Resp. Neg. assumptum. Ad probationem, *Dist. mai.* Substantia est primum subiectum actuale, *Conc.* Potentiale, *Neg. Contradist. min.* Primum subiectum potentiale non potest generari, *Conc.* Actuale, *Neg.*

Explico. Omne quod generatur et corrumpitur debet esse compositum ex subiecto et actu seu forma, uti patet ex ipsa definitione generationis et corruptionis. Si per generationem subiectum acquirit primum esse, idest si producitur aliquid simpliciter, uti homo, canis, planta, tunc habetur generatio simplex, quæ est via ad esse primum et substantiale. Si per generationem subiectum acquirit esse aliquod

secundarium, idest producitur aliquid secundum quid, tunc habetur generatio impropria vel secundum quid seu alteratio, quæ est via ad esse accidentale et secundarium. Quocirca id quod proprie generatur, est primum subiectum essendi actuale, et generatur ex subiecto primo potentiale. Hinc ad propriam generationem requiritur subiectum aliquod potentiale, ex quo producatur compositum. Quare materia prima, quæ non est composita ex aliquo subiecto potentiale, iure dicitur ingenerabilis et incorruptibilis per se: sed si consideratur constituta sub privatione, idest sub priori aliqua forma, sub qua proxime disposita est ad novam formam acquirendam, tunc dicitur generabilis et corruptibilis per accidens; idest non materia per se, sed materia privata vel sub privatione posita (1).

Oppon. 6.^o Si corpora componerentur ex materia et forma, tunc materia et forma deberent sibi invicem esse causæ essendi. Atqui hoc repugnat. Ergo.

Resp. Dist. mai. Essent sibi invicem causæ in eodem ordine, *Neg.* In diverso, *Conc. Contradist. min.* Repugnat duas causas dependere ad invicem in eodem genere causalitatis, *Conc.* In diverso genere causalitatis, *Neg.* Sic non solum materia dependet a forma et vicissim; sed efficiens dependet a causa finali et vicissim. Materia dependet a forma, quia non est actu, nisi per formam. Forma dependet a materia quia sustentatur a materia.

Oppon. 7.^o Materia prima dicitur a Philosopho nec quid, nec quantum, nec quale. Atqui quod dicitur nec quid, nec quantum, nec quale, non potest venire in compositionem entis realis. Ergo.

Resp. Dist. mai. Materia prima negatur esse quid, quantum, quale secundum actum, *Conc.* Secundum realem potentiam, *Neg. Contradist. min.*

Explico. Cum materia prima sit mera realis potentia in genere entis iure negatur esse quid, quantum, quale, nam hæc denominationes sumuntur ab actu, ideoque a forma, per quam res est actu. Eodem sensu generatio dicitur a Philosopho esse a non ente, et ab ente, nempe a non ente in actu, et ab ente in potentia (2). Quare sapienter a S. Thoma materia prima, quæ proprie definitur nequit, hoc pacto declaratur: « Cum potentia et actus dividant ens, et cum quodlibet genus per actum et potentiam dividatur, id communiter materia prima nominatur, quod est in genere substantiæ ut potentia quaedam intellecta præter omnem speciem et formam, et etiam privationem, quæ tamen est susceptiva et formarum et privationum » (3).

(1) Cf. S. THOM. opusc. *De princ. naturas*, et SILV. MAURUM, *Quæst. phil. lib. III*, q. 10.

(2) ARIST. *De generat. lib. I*, cap. V.

(3) QQ. DD. *De spir. creaturis*, a. 1.

Oppon. 8. Phaenomena condensationis, rarefactionis, vibrationum et attractionis molecularis explicari nequeunt, nisi corpora adstruantur constare ex infinitis corpusculis separatis inter se per interstitia vel vacua, vel aethere repleta. Atqui hoc cum systemate peripatetico minime cohaeret. Ergo.

Resp. Phaenomena superius memorata optime explicari possunt admittendo poros non *discontinuantes* undique partem a parte, et realem mutationem voluminis, idest proprietatem mutandi reale volumen, eadem massa manente, seu quantitate materiae. Interstitia seu pori hoc pacto explicati et admittuntur a Scholasticis, et experientia apparent. Interstitia autem penitus ex omni parte discontinuantia neque experientia neque ratione probari possunt. Mutatio autem voluminis realis nullam repugnantiam involvit, et omnino admittenda est, ut phaenomenorum scientifica dari valeat explicatio (1). Ratio autem cur moleculae vel variae partes corporis coalescunt in unum, et non disgregantur, non est vis accidentalis, sed forma substantialis quae dat materiae esse et unitatem; secus vel nulla admittenda esset substantia vere una, vel admittendum esset, quolibet substantiam immanenter operari, si una pars ageret in aliam, ideoque omnem substantiam esse viventem; quod a veritate est maxime alienum.

QUAESTIO II.

De principiis naturae singillatim consideratis.

CONTINUATIO RERUM. Demonstratum a nobis est in superiori quaestione substantias omnes corporales esse compositas quoad essentiam ex duplici principio, nempe ex materia prima et forma substantiali, tamquam ex potentia et actu in genere substantiae. Nunc ad melius intimiusque scrutandam naturam istius compositionis, non erit abs re aliquid attingere de propria et speciali ratione causae tum materialis tum formalis, nempe tum materiae primae, tum formae substantialis, ut rite determinetur propria causalitas utriusque, et intelligatur, quomodo ex earum unione vere efflorescat ens per se et simpliciter unum. Et ut ordine procedat nostra tractatio, in primis agemus de causa materiali, nempe de materia prima, quae in composito substantiali fungitur vice potentiae: deinde aliquid attingemus de principio formali, nempe de forma substantiali, quae causam materialem determinat ad certam speciem naturae corporalis, et sic efflorescit natura seu essentia composita ex potentia et actu, idest corpus, quod vere et proprie subsistit et viget extra causas.

(1) Cf. ARIST. *Physic.* lib. IV, cap. XI.

ARTICULUS I.

DE EXSISTENTIA MATERIAE PRIMAE.

QUAESTIO DETERMINATUR. In explicanda naturae corporalis essentiali compositione ex principio materiali et formali illud supposuimus ut necessario admittendum, nimirum partes essentielles cuiuslibet corporis subsistere per unicum *esse* compositi, ideoque materiam primam dici debere meram potentiam realem in genere entis. Verum cum haec doctrina sit summi momenti, tum ad unitatem entis in composito substantiali intelligendam, tum ad sophismata explodenda eorum, qui peripateticum systema impugnant, tum vel maxime ad germanam S. Thomae hac super re sententiam arripiendam, operae pretium ducimus, quaestionem directe aggredi et diligenter pertractare. Inquirendum itaque venit, an materia prima independenter a forma habeat suum proprium et partialem existendi actum, ita ut non repugnet, ipsam existere sine forma; vel potius existentiam sortiatur prout fit actu per formam, ita ut existentia actuans compositum substantiale sit una eademque, et consequenter repugnet, materiam primam existere sine forma.

Si primum propugnabitur, defendendum erit, in substantia composita reperiri plures existantias substantiales, cum quaelibet pars suum partialem existendi actum sibi vindicet. Quod si secundum seligetur, fatendum erit, substantialem essendi actum cuiuslibet substantiae esse unum, qui primo et per se non recipitur in singulis partibus, sed in composito, cuius proprium est fieri et existere. Haec controversia, quae ipsa sciendi principia intime pervadit, caput stirpemque habet in alia quaestione, quae disceptatur de reali distinctione inter essentiam et esse in rebus creatis. Si enim essentia et esse sunt unum idemque, materia prima, quae realiter distinguitur a forma, habebit suam propriam existentiam realiter distinctam ab existentia formae. Ex adverso si esse est actus realiter distinctus ab essentia, in qua recipitur, et dimans a principio formali, quod determinando potentiam principii materialis facit rem esse actu, tunc materia prima, quae est ens potentia, ut loquitur Philosophus, determinabitur per formam ad certum gradum realitatis et perfectionis, qui vigere potest extra causas, et sic actus essendi totius compositi erit unus et simplex, et compositum quod ab unico actu essendi denominatur ens et unum, proprie dicetur existere.

Duplex sensus realis potentiae iuxta duplicem sententiam. Nomine potentiae ex sententia asserentium materiam identificari cum sua existentia, intelligitur actus imperfectior ordinem dicens per se ipsum ad actum perfectiorem, cum nihil existere valeat, quod non sit